PISTORII
MEMORIA
CASP, HOIERI

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

44,–110.

LN 1329
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

# THEODORI PISTORII EIDERSTEDENSIS PARENTALIA

# IN PERENNE DECVS, INDELEBILEM FAMAM, ET MEMORIAM ANNIuerſariam nobilis Magnifici & Conſultiſsimi viri Dn. CASPARI HOIERI, Reuerendiſsimi & Illuſtriſſimi Principis & Domini, Dn. IOANNIS ADOLPHI, Archiepiſcopi Bremenſis, Epiſcopi Lubecenſis, Ducis Schleſvicenſis, & Holſatiæ, etc. quondam Conſiliarij, & Præfecti Eiderſtedenſis vigilantiſsimi: Domini, Patroni & Mecænatis S. perpetua obſeruantia colendi, feliciter & ſanctè in terris mortui, non ſine irrecuperabili politicæ Reipublicæ, & religioſæ pietatis iactura, Huſiæ die XIX. Nouemb. ibidemq; illuſtri pompa ſepulti die II. Decemb. Anno XCIIII.

SLESVVIGÆ

EXCVDEBAT NICOLAVS VVEGENER.

M. D. XCV.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

B.R.II.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

# NOBILIBVS ET MA-
*GNIFICIS VIRIS (FELICIS MEMORIAE, ET GRATAE RECORDA- tionis, eximij Herois Dn. CASPARI filijs) Dn. HERMANNO Præfecto Eiderſtedenſi vigilantiſſi- mo, &c. Et Dn. CONRADO, fratribus HOIE- RIS, Dominis Amicis & Mecœnatibus ſuis colen- dis: hæc Parentalia dicat, dedicat, conſecrat*

THEODORVS PISTORIVS
Eiderſtedenſis.

PAtris vti fueram veſtri ſtudioſus ab annis
Hinc multis, vitæ dum fuit ille ſuper,
Sic, vbi ſomniferæ biberit iam flumina lethes,
Non minus illius commeminiſſe iuvat.
Illius id virtus, in me meritumq́ue requirunt:
O vtinam poſſem ſed ſatis eſſe memor.
Si qua meis fuerit quondam facundia Muſis,
Si nunc ingenij dona vel vlla mei.
Illius ad laudes, fuerint hæc qualia, vertam,
Nomen inoblitum ſemper in ore geram.
Hoc equidem vobis (vti fas eſt) ritè placebit,
Eximij vera nobilitate viri.
Gratius haud quicquam vobis ego ſpero futurum
Quàm ſi de veſtro Patre quis acta canat:
Sic quia naturæ ſobolis Deus indidit ipſe,
Vt nequeat Patris non meminiſse ſui.
Non ego ſed poſſum veſtri Patris immemor eſſe,
Intereat tanti gloria ne qua viri.
Sic illum ventura magis mirabitur ætas,
Nomen & à ſera poſteritate feret.
Ac vt proponam vobis veſtigia: ſpectat
Ad vos præcipuè nam patris omne decus.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

Ardua donec erunt cœlo ſua ſidera, tellus
Donec abundabit floribus, Albis aqua,
Illius, & veſtri cupio ſtudioſus haberi,
Veſter ego vates, quando licebit, ero.
Intereà, maior donec mihi creuerit ætas,
Donec culta magis noſtra Camæna dabit,
Quæ nunc de veſtro cecini pervolvite Patre,
Certa voluntatis ſunt ea ſigna meæ.
Debuit haud quantum, potuit ſed venula quantum
Præſtitit: in magnis ſit voluiſſe ſatis.
Qualiacunq; dedi placido iam carmina vultu
Sumite, non planè vilia forſan erunt.
Sint ſaltem propter lectu benè digna Parentem
Veſtrum: complaceant hæc mea metra, rogo.
Hæc ſi, Patroni, vobis perſpexero grata,
Si quæ plura, lubens offero, Muſa poteſt.
His vos Neſtorei vivatis ſæcula vatis,
Et ſitis ſtudijs firma columna meis,

PAREN-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

# PARENTALIA.

CVM ſubit illius triſtiſſima lucis imago,
In qua CASPARI, Præfecti nobilis, oſſa
Condidimus terra, qui per tria luſtra decenter
Sceptra gubernavit, bis ſex ac ordine menſes;
Tunc ſumptis animo lachrymis cor eiulat intus
Triſticia, lugentq; imis mihi pectora fibris.
Hæc erat illa dies funebris conſcia pompæ.
Hæc erat illa dies, lugubria carmina Muſas
Scribere quæ voluit, qua cæpit vulnera flumen
EIDERA, qua nimium flevit gens ſubdita planctu,
Qua laniata comas, vultuſq; Aſtræa venuſtos,
Antè domus planxit Præfecti funera valvas,
Qua pietas & cana fides pullata pheretrum
Concomitata genas lachrimis vultuſq; rigavit,
Qua pulchræ gelidis Nymphæ flevere ſub undis,
Alboviuſq; Parens, noto de flumine, vultus
Extulit, & ſicca madidos proſtravit arena
Artus, & patrias auxit qua fletibus undas,
Flebilibus liquidus ſonuit qua planctibus aër.
Hæc eſt illa dies funeſta digna cupreſſo.
Hujus ego triſtes exili carmine pompas
Exſequor, & merito defunctum dignor honore.
Triſte cano funus, mortem, ſupremaq; fata,
Ex ſeris etiam quæ forte nepotibus unus
Vel repetet, priſcis vel ſaltem annalibus addet.
At vos defuncti primum lectiſſima conjunx,
Nobilis & ſoboles, generis ſtirps totaq;, mecum
Quæ ſum dicturus, placido pervolvite vultu.

*Eia agite, atq; meis aures præbete Camænis.*
*Defuncti imprimis qui geſtas ſceptra Parentis*
*HERMANNE, Hoieridum decus indelebile gentis,*
*Gloria Muſarum, Phœbi laus, anchora vatum,*
*Flos juvenum pretioſe, boni Patris optima proles,*
*Da veniam cæptis, noſtramq; amplectere Muſam.*
*Tuq; tuo clemens tyroni IOVA beningnè,*
*Vt Mecænati fiat labor annuus, adſis.*

*Tempus erat, gelidas quo Chiron ſtrinxerat vndas,*
*Et tenebris cæcis lux condita prima Novembris*
*Fugerat, & roſeos iam merſerat æquore currus*
*Cynthius, atq; pares quæ machina dividit horas*
*Vix primam dederat, ſomnus tunc feſſa fovebat*
*Corpora, cumq; ſuis recubabant matribus agni.*
*Tunc Deus igniferi cernens de fornice cœli*
*Morbida Præfecti vidit contagia, vidit*
*Et ſobolem verbis ſic eſt affatus amicis:*

*Nate meum, dixit, cor, & mea ſola voluptas,*
*Quam nobis, noſti, gratus fuit optimus Heros*
*CASPARVS, divæ Themidos hoc tempore Princeps,*
*HOIERVS, validis populum qui frænat habenis,*
*Alluit humentes vbi velox Eidera ripas.*
*Es memor vt noſtræ ſteterit ſententia menti,*
*Illius explorare fidem: nunc triſtia lætis*
*Jungam, nunc facto corrumpam gaudia luctu,*
*Iamq; dies decimus cum nonus labitur, æger*
*Dum cubat in ſtratis noſter CASPARVS, & artus*
*Exſangui ſentit nimiùm tabeſcere morbo,*
*Et laterum coſtæ flagrant, & corripit ignes*
*Pulmo, jecurq;, ſuas ſtomachus non amplius eſcas*

*Con-*

*Conquoquit, & nullo vegetantur ſanguine venæ,*
*Hunc ego quem ſemper* CASPARUM *ardenter amavi,*
*Illius & juvi quàm præſens ſæpè labores*
*Noſti, quàm noſtri latuit ſub margine ſcuti,*
*Cum livor tenſo lunabat cornua nervo.*
*Crimine commiſſo noſtras fugitabat ad aras,*
*Crimine deleto liber cedebat ab aris.*
*Hujus ego tandemq; malis, moliq; laborum*
*Imponam finem, & cæli dignabor honore.*
*Dixerat illa parens, contra ſic filius orſus:*
*Ne tradas genitor* CASPARUM *in vincula lethi,*
*Sed vivat, numeretq; ſuos poſt ſera nepotes*
*Sæcula; parce pio generi, & res aſpice triſtes*
*Illius, ille meis meritos imponet honores*
*Templis, Neſtoreos eſt vivere dignus in annos,*
*Nos colit, & vero ſemper veneratur amore,*
*Aut ſi fixa tuæ ſic ſtat ſententia menti*
*In tempus differ, gentis miſerere regendæ.*
*Floriferis ut apes vero ductore carentes*
*In Sylvis errant, nec florum pabula guſtant,*
*Et nulla repetunt conſuetos luce penates,*
*Non fœtuſq; fovent, & non liquentia mella*
*Stipant, nec dulci diſtendunt nectare cellas,*
*Non onera accipiunt venientum, & tempore nullo*
*Fervet opus, redolentq; gravi torpedine mella,*
*Sic errat ſpoliata ſuo promiſcua turba*
*Præſide, ſic vitæ ſecura hinc, indè vagatur.*
*Parce pio generi, & propius res aſpice triſtes*
*Conjugis, in viduo ne fallat tempora lecto,*
*Ne fata accuſet nimium ſibi dura, maritum*

*Erep-*

Ereptum doleat, tacitoq; hæc pectore verbo
Murmuret: ô avidi dura inclementia fati,
Quid juvat optatum ſic eripuiſſe maritum.
Si rapuiſſe juvat, cur me rapuiſſe negaſtis
Et ſimul, ut tumulo conjunx cum conjuge eodem,
Optatam caperem per ſæcula cuncta quietem.
Provida cur coſtæ tribuerunt numina carnem,
Si nunc coſta ſua debet de carne revelli?
Coſta nihil dempta carne eſt, niſi mortua, certè
Mortua ſum, ſed viva tamen deſidero carnem
Avulſam: noſtris Deus ô Deus annue votis,
Mors ambos jungat, quos ambos junxerat antè
Connubialis amor, non mors nos diſgreget atra:
Has dabit, aut ſimiles turbato pectore voces;
Et velut in patula ſpoliatus turture turtur
Arbore, defunctam lugubri voce maritam
Deplorat totum planctus per inane volutans
Triſte gemit, pendent alæ, pede nititur uno,
Et caput in plumis cervix contracta recondit,
Non illi paſtus curæ eſt, non flumina tangit.
Sic illa in vacuo deflebit fata grabato
Conjugis, & totæ reſonabunt planctibus ædes.
Parce pio generi, ſobolis res aſpice patre
Privatæ, video jam reſpondere querelis
Aëra, jam video mœſtis ſua pectora palmis
Vt tundat, nimiumq; gemat, laceretq; capillos.
Non ſecus ac ſobolem nido Philomela relinquens
Avolat, ut paſtum miſeris paret, arvaq; circum
Grana legens capitur, caveiſq; includitur, abſens
Illa ſuam ſobolem gemit, at gemit illa parentem
Orba

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

*Orba timens cuculum genus , atq; volatile raptu*
*Ingluviem ſatians, alvi, ſtomachiq; baratrum,*
*Roſtra polum verſus tendunt, matremq; vocare*
*Conantur, laqueis quam cæpit callidus auceps.*
*Sic & progenies* CASPARI *funera patris*
*Deflebunt, mortemq; petent, luctuq; peribunt.*
*Ipſa domus Dominum letho lugebit ademptum,*
*Atq; ſuo caſum planctu plorabit herilem.*
*Et velut in vitreis navis vaga fluctuat undis,*
*Flumina cum rapidis nauclerum concita ventis*
*In fundum rapuere ſuum, raptumq; trucidant,*
*Quo ventus rapit, illa ruit, nec remige ducto*
*Signat iter certum, ſcopuloſq; exhorret & imbres,*
*Dum nemo in cano moderatur gurgite clavum,*
*Præſentem timidis intentant omnia mortem*
*Nautis, atq; nihil toto niſi mortis imago*
*AEquore conſpicitur, gelidiq; ad limina lethi,*
*Mille aditus angunt pavida formidine mentes.*
*Sic orbata domus , nulloq; habitata repentè*
*Labitur, horrificamq; trahit collapſa ruinam.*
*Adde quod hoc etiam plorabunt funus Amici,*
*Quos inter certè Dux illuſtriſſimus unus*
IANVS ADOLPHVS *erit, domus ac Holſatica tota,*
*Hujus uti quondam Patris, fratrumq; duorum*
*Conſiliis rexit ſemper prudentibus aulam,*
*Sic illi totus jam multis ſerviit annis.*
*Ille domi fuit, ille foris fuit, alter Vlyſſes:*
*Hei mihi quam celſus Princeps hunc deſeret ægrè.*
*Hunc & nobilitas citius ſibi flebit ademptum,*
*Cum qua, conſiliis pollens , is vixit in aulis,*



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

*Cum qua legatus tot munia fortis obivit,*
*Quorum perpetuo mentes concordia nexu*
*Iunxit, diſiungi quæ nullo tempore debent.*
*Hunc pietas flebit, ſancti verbiq́ miniſtri,*
*Ille quibus dubijs ſemper fuit anchora rebus.*
*Paruit his vltrò: quorum ſub jure libenter*
*Innocuam didicit ſine crimine ducere vitam.*
*Ex horum numero, quis non lugubria juret*
*Carmina ſcripturos cari poſt fata parentis?*
*Sub cuius vates cecinerunt ſæpius vmbra.*
*Quid reliquos referam, quorum iam cerno querelas?*
*Iam video totam pullatam plangere terram,*
*In luctum ruere, & funebres edere voces.*
*Parce igitur, mi parce parens, da tempora noſtro*
*Plurima* CASPARO*, nam dum manet ille ſuperſtes,*
*Semper honos, nomenq́ tuum, laudeſq́ manebunt.*
*Olli ſubridens, quo temperat omnia, vultu.*
*Parce metu, dixit genitor, nihil illa malorum*
*Mors feret, aſt aditum cæleſtia pandet ad aſtra,*
*Ipſe ero, qui viduam ſolus ſolabitur* ANNAM.
*Tutor ero ſobolis, populum qui frænet habenis*
*Deſertum, noſtro mittetur munere Præſul,*
*Ille ſuis requies, obiectæ luctubus aulæ*
*Conſolamen erit:* CASPARO *morte ſoluto*
*Tempora longa dabo, dabitur tibi nate quod optas,*
*Nam nihil unigeno genitor tibi nate recuſat.*
*Sic ait: aſt Chriſtus pendens cervice parentis,*
*Eſt, dixit, ſua cuiq́ dies, & funeris hora,*
*Metaq́ quam tangent, quotquot ſunt ſanguine creti*
*Mortali, quotquot crimen maculavit Adami,*

*Quiq́*

*Quiq; hodiè moritur, cras ille eſt funeris expers,*
*Occidat, & peragat cœleſtis tempora vitæ,*
*Namq; ſuam tetigit metam quam fata dederunt.*
*Angelus extemplò duræ ad penetralia mortis*
*Mittitur, vt Synodi referat decreta ſupremæ.*
*Eſt propè Cymmerios longo ſpelunca receſſu*
*Mons cavus indomitæ necis, & penetralia ſomni:*
*Cynthius hæc nunquam vidit venienſve, cadenſve,*
*Aſt illic tantum nebulæ ceu flumine factæ*
*Exhalantur humo, tenebroſaq; noctis imago.*
*Non ibi criſtatum volucris caput erigit almam*
*Cantibus auroram quæ nunciat, ardua cœli*
*Iam iam ſcanſuram, non ſunt ibi garrulus anſer,*
*Sollicitivè canes, non moti flamine rami,*
*Non ſtrepitum reddunt pecudes, nil intus, at vna*
*Mors ſolet interdum tenuare in cote ſagittas*
*Inſomnis, ſomnus dum noctu feſſa relaxat*
*Corpora, dum captat mortalia corda ſopore,*
*Intus mille choros pueri ducuntq;, bibuntq;*
*Pocula lethea (quæ montem perfluit) vndæ.*
*Diverſorum operum pueri: pars ſubdita ſomno,*
*Quæ didicit falſa ſub imagine ludere, ſomnus*
*Quos domuit: celeri ſervit pars altera letho,*
*Quæ mortale genus, poſtquam data copia, multis*
*Excruciat pænis, quorum qui pectora morſu*
*Et ſtomachum rodit, CASPARI miſſus ad ædes*
*Iampridem fuerat, ſeq; inſpiraverat ipſi.*
*Tetrica muſcoſo ſe mors abſcondit in antro,*
*Calva caput, ſpoliata oculis, caſſa auribus, ore*
*Cui quot ſunt dentes, tot ſunt ſine tegmine dentes,*



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

*Pro naſo geminum membranula dividit antrum,*
*Inq; loco colli ſtant internodia colli.*
*Extant articuli tantum manuumq; , pedumq;,*
*Et coſtæ à ſpinæ tantummodo crate tenentur,*
*Ventre caret, ſpacium ſine viſcere ventris inane eſt,*
*Propendunt genuum junctura, & tubere tali*
*Exſurgunt magno , ſine tota eſt oſſea carne,*
*Illam primus Adam , nigriq; aſtutia Ditis*
*In Paradiſiacis genuit mortalibus hortis.*
*Quam procul vt vidit tenuantem cote ſagittas*
*Angelus, heus, inquit, ſummi cape iuſſa tonantis,*
*Hinc & CASPARI te te cito confer ad ædes,*
*Præfectumq; tuis luctantem confice telis,*
*AErumnis finem facias, & quicquid in ipſo*
*Mortale eſt adimas, quod non mortale relinquas.*
*Hoc ego cælorum ſum juſſus ponere in arcem.*
*Dixerat, & niveis Præfecti triſtia pennis*
*Tecta petit, capitiq; aſtat, lateriq; jacentis.*
*Arripit extemplò ferrata haſtilia lethum,*
*Et lentò accedit CASPARI limina paſſu,*
*Quæ poſtquam tetigit, paulum defeſſa levavit*
*Oſſa, iterum parteſq; oculos detorſit in omnes.*
*Interea mediam dederat campana ſecundam,*
*Viderat ut primum CASPARVS ſede ſedentem*
*Ad lectum, neq; ea commotus imagine quicquam*
*Extimuit, ſteteruntve comæ, non lingva palato*
*Hæſit, at, o, inquit, qui circumſtatis amici*
*An mediam dudum noctem campana notavit?*
*Vt vero audivit quartam ſonuiſſe, bis horam*
*Cum dabit (inquit) ego, ſi vult Deus, alta reviſam*

Tecta

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

Tecta poli : dixit, cum mors non irrita telis
Dicentem aggreditur propius, tentatq; ferire.
Ille levans oculos, ait : ô Deus atria cæli
Qui regis, & terram pedibus premis, annue noſtris
His precibus, vitæ quas in diſcrimine fundo,
Principio hanc animam cæleſti ſede repone.
Da terris corpus, viduam ſolare maritam,
Et noſtram ſobolem, & viduatam Principis aulam
Ipſe fove, & fidum populis age redde patronum.
Plura locuturum lethum transverberat haſta,
Dependet cervix humeris, ſparſiq; capilli,
Pallor in ora venit buxans, quibus antè ſolebat
Hic hic Argolici linguam ſuperare Periclis.
Sic roſa dependet violato caule, ruborem
Amittitq; ſuum, pauciſq; eſt uſibus apta.
Mors ubi mandatum telis cæleſte peregit,
Cymmerium repetit conſuetum paſſibus antrum:
At domus interea gemitu, miſeroq; tumultu
Miſcetur: penituſq; cavæ plangoribus ædes
Fæmineis ululant, ferit ardua ſidera clamor,
Et cari conjunx ubi novit fata mariti
Subſtitit, & demum ingenti correpta dolore
Proripit, & medium ſeſe commota per agmen
Defuncti ſuper ora viri, mæſtumq; cadaver
Abijcit, & gelidis infigit baſia malis.
Cum primum fari potuit ſic edidit ore:
Conjugis ô conjunx dolor, aſſumptæq; quieti
Rapta quies, cui me poſt fata ſuprema relinquis?
Me miſeram, quàm præcipites labentia caſus
Sæcla agitant, quanto voluuntur fata tumultu.



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

*Qui vir magnus eras, parva jam clauderis urna,*
*Qui fera mellifluis mulcebas pectora dictis,*
*Nunc ſine voce jaces, miſerandum & flebile corpus.*
*Quò tua jam gravitas mi vir CASPARE receſſit,*
*Majeſtaſq; tui vultus, ubi gratia linguæ?*
*O lethum mimimè lætum, cur toxica ſpargis*
*In doctos etiam, qui commoda publica poſſent*
*Augere, atq; alijs rectè prodeſſe merendo?*
*AEqua ſimul cunctis hauris mors omnia morſu.*
*Indoctos æquas doctis, tu fortibus arma*
*Exuis, exutos miſeris imbellibus addis.*
*O lethum minimè lætum, quæ cauſa coegit*
*Eripere, atq; meum crudeli fine maritum*
*Afficere, & noſtram lachrimis onerare ſenectam.*
*O diri diri dura inclementia fati,*
*O non parcentes parcæ, nigræq; ſorores,*
*Cur mihi dilectum rapuiſtis morte maritum?*
*Cur non me ſimul, ac illum rapuiſtis? eodem*
*Vt tumulo caperem per ſæcula longa quietem?*
*Ambos dulcis amor junxit, mors diſgregat ambos.*
*O diri diri dura inclementia fati,*
*Dixerat: & multa illachrymans largo ora rigabat*
*Imbre, trahens duros gemitus, rapidoſq; dolores.*
*Qualis ubi lacerat validis Iovis ungvibus ales*
*Cornipedis fætum cervæ, dolet anxia mater,*
*Et gemit abreptæ conſpecto ſangvine prolis,*
*Sic conſors CASPARE tui fidiſſima lecti*
*Flebat, & amiſſum lugubri voce parentem*
*Mæſta gemit ſoboles: abſentem ut parvula matrem*
*Sæpè vocat volucris, quam cepit callidus auceps,*

*Reti-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

*Retibus & granis auceps fallacibus uſus.*
*Audierat planctum cæli ſub cardine fama,*
*Atq; illum paſsim vulgi vulgavit ad aures,*
*Protinus in lachrymas gens omnis ſolvitur, omne*
*Flet vulgus, flet Dux, aulæ dolet ipſe ſenatus,*
*Eidera continuis humectat fletibus ora.*
*Memnonis ut primùm Titonum liquerat altum*
*Aſcendens cælum genetrix, per compita plures*
*Cernuntur cari Præfecti ob funera fletus.*
*Iamq; ubi lux funeſta aderat, qua funera putri*
*Imponenda ſolo, cunctis de turribus omnes*
*Campanæ ſonuere ſimul, triſteſq; dederunt*
*Concentus, intus, ſpectant quæ ad funera, fiunt.*
*Poſt ubi dicta venit pompis funebribus hora,*
*Dux cum nobilibus defuncti tecta frequentat,*
*Eſt & ibi præſtò multo cum cive Senatus,*
*Et quot præcipuos querulus tenet EIDERA vultus,*
*HEVERA quotquot habet totus, Diethmarſia quotquot.*
*Sic & fæmineum funeſtis veſtibus agmen*
*Indutum, viduam ſolari nititur ANNAM,*
*Quæ gemitum ingeminat, duplicato & verbere pectus*
*Percutit, & poſitos lacerat ſine lege capillos.*
*Intereà paribus pueri longo ordine junctis*
*Tecta petunt, vultu cæptum teſtante dolorem.*
*Parte domus media poſitum venerabile funus,*
*Velatumq; nigro, quem comparat Anglia panno,*
*Aſpectu movit lachrymas, triſteſq; dolores.*
*Egreſsi tecto, ſe, quos jam grandior ætas*
*Extulit antè alios, reliquorum ex agmine ſolos*
*Ad lævam ſiſtunt, & veſtibus ora recondunt.*

*Ter*

*Ter quatuor præeunt pueri velamine nigro,*
*Cujuſcumq́ faces ardentes dextera geſtat.*
*Poſt illos tectiq́ togis, junctiſq́ ſalutis*
*Incedunt paribus præcones, fataq́ deflent.*
*Tum pheretrum ſubeunt octo, & miſerabile funus*
*Imponunt humeris cives, & paßibus æquis*
*Excedunt tecto: ſed quis nam talia fando*
*Temperet à lachrymis; poſtquam dux inclytus ipſe*
*Impoſitum tumbæ portari, & voce carentem*
*Præfectum videt, aßiduus rigat imbribus ora,*
*Turbaq́ fecit idem, ſequitur quæ caſtra Minervæ.*
*Vos ego, vos vidi conſpecto funere flentes,*
*Atq́ ſimul flevi, veſtri namq́ ipſe doloris*
*Tum comes unus eram, vos me renovante dolorem*
*Nunc iterum video volventes pectore curas.*
*Lugubri extemplò conſuetos voce canebat*
*Concentus cantor, quos mulùtm agitatus* IOBVS
*Ediderat quondam tenero patientior agno.*
*Poſt funus medio Princeps celſißimus ibat*
*Agmine nobilium: fratres duo grandior ætas*
*Eſt quibus, hunc junctim pullata veſte ſequuntur.*
*Cum minimo natu comitantur fratre propinqui*
*Sanguine: poſtq́ datur iunctis affinibus ordo:*
*Poſt hos inſequitur multo cum cive Senatus,*
*Exq́ peregrinis populus qui venerat oris.*
*Hos & fæmineum proceſſus obtinet agmen.*
*In ſacram ventum eſt pompis funebribus ædem,*
*Suggeſtum juxta funus venerabile ponunt*
*Bis quatuor cives: ſubter Candelabra funus*
*Et circum, pro more dabant præſentibus ignes.*

*Obvia*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

*Obvia quæ fuerant populus ſubſellia complent.*
*Vix ædes numerum quibat tam magna tenere.*
*Muſica turba prius tentat lenire dolorem,*
*Triſtia Prudenti modulatur carmina, voce*
*Submiſſa incepit Cantor, queis mæſta parentes*
*Funera lugentes ſolatur, & affore tempus*
*Dicit, ubi cælo redivivi in te ſecula vivant.*
*Poſt hæc ſuggeſtu Præco ſic fatur ab alto:*
*Væ vitiis hominum, queis ſe quocunq; volutant*
*Sponte loco: cæco ducuntur prona furore*
*Pectora: vah quoties cumulantur fæda nefandis*
*Crimina criminibus, non nunc pro crimine crimen*
*Vulgus habet, languent pietas, probitasq; fidesq;.*
*Dat fluxis operam rebus gens impia, tantum*
*Quærit opes: Mercator iter terraq; mariq;*
*Non ſine ſupremo vitæ diſcrimine, propter*
*Turpe facit lucrum, non verbi oracula curat*
*Sacra, Dei nunquam, vel rarò viſitat AEdem,*
*Non animæ, quamvis ea pars eſt optima, cura eſt.*
*Si tempus reſtat, potu ſua proluit ora,*
*Sive locum ſceleris, Cauponæ tecta frequentat.*
*Furta, furor, cædes, inceſtus, frausq; dolusq;*
*Quotidie fiunt: plerumq; ad crimina cæcus*
*Fæda Magiſtratus blanditur, talia ſive*
*Si punit, pravis coram malè civibus audit.*
*Hac vice non memorare (nec eſt fas) omnia poſſum,*
*A veſtris ſunt dicta aliàs præconibus iſta,*
*Vos tamen hac ſacra qui conveniſtis in æde,*
*Obteſtor propterq; Deum, propriamq; ſalutem,*
*Vt ſua quisq; velit vitæ delicta fateri,*



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

*Plangere & idcirco, culpæ veniamq; precari*
*A patre cæleſti, poſthac & degere vitam*
*Sanctius, atq; (licet quantum) peccata cavere,*
*Quod niſi feceritis Domini portabitis iram.*
*Bella, fames, noſtris graſſantur pluribus oris,*
*Imminet imperio Turca infenſiſsimus hoſtis*
*Teutonico, fiunt dubio certamina Marte,*
*Nunc hunc ferra vorant, alium globus enecat, alter*
*Ex fame funeſta moritur, vel tabe fluenti.*
*Hæc quis peccatis nos commeruiſſe negabit?*
*Nemo poteſt equidem: eſt tempus, reſipiſcite tandem,*
*Aut graviora Deus fieri permittit ob iſta,*
*Impoſitis jaculis arcum Deus ipſe tetendit,*
*Ni convertimini vos, morte peribitis omnes.*
*Nos variè gravibus pænis affligimur, undè*
*Et cur hæc fiant, rectè vix æſtimat unus,*
*Namq; in delictis hominum mens cæcutit, & non*
*Agnoſcit graviter quam crebrò Numina lædit.*
*Hei quàm cara tuæ timeo Germania genti.*
*Eripuere Duces nobis tres ordine fata*
*Temporis exigui ſpacio: quorum duo nondum*
*(Ni fallor) binos geſſerunt ſceptra per annos.*
*Hæc cur facta putas? certa ob peccata patrata*
*Noſtra, Deus gravius populo nam quando minatur,*
*Antè Magiſtratus ex ſævo præripit orbe.*
*Hei mihi quot periere viri, quos ardua virtus*
*Conciliiq; vigor, jam dudum ad ſidera vexit.*
*Prætereo reliquos prudens, perpendite mecum*
*Quàm funeſta viri nobis ſint funera, cujus*
*Antè diem exequias hac nunc curamus in æde.*

*Vix*

Vix hic ullus erit, quin ipſe fatebitur ultrò
Allatura hujus non parvam funera cladem.
Ille quis, & qualis fuerat vir ordine pandam.
Hujus ego primum repetam primordia vitæ:
Invida virtuti non rarò ſupprimit ætas
Eximij monumenta viri, famamq; perennem.
Aſt ego, ſi poſſem, Præfecti Heroica facta
Non ullo quovis paterer vileſcere ſæclo,
Vt bona poſteritas veſtigia laudis haberet.
Hic Huſia natus noſter CASPARVS in urbe eſt
HERMANNO patre: cujus erat nota inclyta virtus.
Qui vir fortis erat, prudens & rebus agendis,
Cui gravitas claro vultu lucebat honeſta,
Hoſti terror erat, fidum ſolamen amicis.
Acer erat bellis: alias vir mitis, & æquus,
Martis ſæpè tulit ſævi imperterritus arma,
Hic FRIDRICE tibi Rex multos ſervijt annos.
Ipſe manu donec meruiſſet nobile nomen.
Nobilis hinc geßit donata inſignia, geſtant
Et ſimul illa, ſuo qui ſunt ex ſanguine creti.
Alciden Thebæ memorant, ſtupet Hectora Troas,
Te bellatorem numerat Germania noſtrum.
Sancte ſenex ſalve, tua fama eſt neſcia mortis.
Hujus erat genetrix CASPARI, fæmina præſtans
Omni dote: bonis fuit illa parentibus orta,
Gnara domi cuſtos, ſapiens, pia, larga, pudica,
Dotibus ulla magis vix matronalibus aucta.
Pulchra viro caſti peperit pia pignora lecti.
Quæ, poſtquam carum rapuiſſent fata maritum,
Cum medico tædas iterant, thalamumq; ſecundum

*Inſigni, cujus non neſcit Dania famam.*
*Gaudia nunc cælis peragit cum utroq; marito.*
*Salve fæminei decus indelebile ſexus.*
*Hæc, veluti decuit, caræ cunabula prolis*
*Sollicitè quovis curabat tempore mater.*
*Nutrimenta dabat, puerum dabat ipſa ſopori,*
*Illius ipſa vagis tollebat pectora cunis,*
*Vagijt is quoties, toties accurrit, & ejus*
*Infixit teneris ſuaviſsima baſia malis.*
*Creſce puer, dixit, mea ſpes, mea ſola voluptas.*
*Sic bona de puero primis præſagijt annis,*
*Fecit uti quondam genetrix paritura Maronem.*
*Sæpè parens, dixit, dederint ſi numina vitam,*
*Hic CASPARUS erit noſtræ ſpes firma ſenectæ.*
*Sic primo ſeſe nudat ſub limine virtus.*
*Vix ſua CASPARO egreſſo cunabula, fatis*
*Conceſsit genitor, cujus tunc funera cives*
*Fleverunt, & plus illis mæſtiſsima conjunx.*
*Et licet in viduo mater triſtiſsima lecto*
*Viveret, illa domi gnatum tamen educat ipſa*
*Moribus in cultis, ne quid puerilibus annis*
*Fortè deeſſet: enim dederat pueritia magnam*
*Indolis eximiæ ſpem: poſt, ubi fata volebant,*
*Cum doctore iterum tædas celebrabat ab Hamsfort*
*Mater, quæ Daniam verſus comitata maritum,*
*Ducit eò ſobolem, vita quæ carior ipſi*
*Semper erat, tantum quem vir dilexit, ut illum*
*A ſe progenitæ caræ vice prolis haberet.*
*Hic puer ingenio ſpectandus & indole præſtans,*
*In ſe multorum vultus, vertebat & ora,*

*Hoc*

*Hoc erat in puero quicquid, vivebat id omne.*
*Ille ſuos longè æquales ſuperabat, ab ejus*
*Manebat ſermo, puri inſtar fluminis, ore.*
*Cum natura bona eſt, virtus ſe protinus effert.*
*Hujus agens curam genetrix, præfecit amicis*
*( Ætas ſivit ubi ) puerilia pectora dictis*
*Qui regeret, ſtudiis ac informaret honeſtis,*
*Ille ſtatim Phœbum, Muſaſq; aſſvevit amare.*
*Vix ubi prima puer ſtudiorum Elementa teneret,*
*Cum Regis Daniæ, MAGNO Duce, prole, magiſtro*
*CASPARO MVLA eſt muſis inſtructus in aula.*
*Qua ſpacio exiguo tantum profecit, ut ejus*
*Quiſq; ſibi magnos ſperaret ab indole fructus.*
*Poſt à matre ſua Phæbeam miſſus ad urbem*
*Sub te care facit Luca ſtipendia Loſſi*
*Artis palladiæ, tecum vivebat is una*
*Sponte domo, tecum menſa vivebat eadem.*
*Huic tu monſtrabas Latiæ fundamina linguæ,*
*In ſophicis rudimenta, ſimul linguaq; pelaſga.*
*Intereà venit Muſis optata juventus,*
*Quæ plerumq; magis ſtudiis majoribus apta,*
*Tunc miſſus ſociis comitantibus ibat ad Albim,*
*Sunt ubi fontigenis extructa palatia Muſis.*
*Quà ſacra magnanimus defendit ſcripta LVTHERVS,*
*Qua ſtupuit magni gens docta MELANTHONIS ora.*
*Hic operam Sophiæ ſtudiis cum fortè dediſſet*
*Per menſes aliquot: Muſis comitantibus urbem*
*Argentinam adiit, ſacri domicilia Phœbi.*
*Cæpit ubi ſtudium juris ſub præſide legum*
*HOTTMANNO, cujus penetravit ſidera fama.*

*Hic juvenis parvo profecit tempore tantum,*
*Vt, præter reliquos, illum vehementer amaret*
*Non ſolum, aſt aliјs & commendaret amicis*
*HOTTMANNVS: cui, poſt memini tribuiſſe viciſſim*
*CASPARVM quicquid ſinuoſo jure tenebat.*
*Hinc ſe Coloniam, Muſarum ad caſtra ferebat,*
*Quâ curâ, ſtudioq; pari ſacra jura legebat,*
*Scriptaq; Doctorum volvebat grandia Iuris,*
*Gaudebat doctis, doctorum ſæpè petebat*
*Colloquia, in ſtudiјs erat ipſi ſola voluptas.*
*Illius hic etiam meruit ſolertia laudem.*
*Poſt redit in Daniam (quod mater juſſerat antè)*
*Vix ubi veniſſet, mater cariſſima fatis*
*Occubuit, cuius nimium cita funera flevit,*
*Hanc etenim à primis annis vehementer amarat.*
*Hei quàm dura nimis, redeunti fata fuerunt.*
*Non equidem Iuveni potuiſſet gratius eſſe*
*Quàm ſi (quod ſtudiјs iam dudum ritè pararat)*
*Muſarum cæpiſſet, matre ſuperſtite, fructus.*
*Aſt aliter viſum ſuperis, fuit ergo neceſſè*
*Fata pati, dederant quod Numina diva ferendum.*
*In Dania non ille diu poſt fata moratur*
*Matris: nam ſtudiјs quò plus didiciſſet, amabat*
*Plus Muſas: curvis ubi labitur Odera ripis*
*Ibat Francfurtum ſtudiorum denuo causâ,*
*Continuare artem, juriq; imponere finem*
*Mens erat: optatò quamprimùm venerat illuc*
*Sub magno, volvit ſinuoſa volumina Iuris*
*SCHRADERO, legum ſacrarum interprete, quo ſe*
*Teutona iactabat, iactabat & Itala tellus.*

Hoc

*Hoc aliquot juris pervolvit præſide libros*
*CASPARVS, dubius caſus ſi forſitan eſſet,*
*De quo non eadem Doctorum ſcripta legebant,*
*Conſuluit magnum (tribuit cui magna) SCHRADERVM.*
*Hinc illum ſummè præſtans SCRADERVS amavit,*
*Ac ipſi tribuit magnos in jure progreſſus.*
*Poſt ubi Francfurti Muſarum caſtra ſequutus*
*Eſſet, in Italiam proficiſci cogitat: Ergò*
*In Daniam prius, ut grato ſe forſitan ære*
*Inſtrueretve aliis (tunc ut fit) rebus, abivit.*
*Cum vero in Daniam veniſſet, vixit in aulâ*
*Regis ibi præſtans utroq; in jure Senator,*
*Doctoris quondam dederat cui inſignia Phœbus,*
*Qui CancellarI tunc rectè munus obibat,*
*Et cum CASPARI celebrarat vincla Sorore*
*Conjugii: hic illum dictis perſuaſit amicis*
*Ne Latium verſus, velut antè receperat, iret:*
*Sed potius Daniæ ut vellet regione morari,*
*Quàm peregrinari, vitæ non abſq; periclo.*
*Norat enim prudens vir, quod pleriq; periſſent*
*In Latio, ſaltem infirmi ſivè inde rediſſent.*
*Sicuti Lotichio, incautus cum Philtra bibiſſet,*
*Accidit, aonio vati, ſummoq; Poetæ.*
*Tanti vera viri CASPARVM dicta movebant,*
*Ut verbis, precibusq; locum concederet, & non*
*Iret in Italiam: tunc Cancellarius egit*
*Sponte penes Regem, quò munus haberet in aula,*
*Id facilè obtinuit, nam dudum Regis ad aures*
*Venerat eximii Iuvenis celeberrima virtus.*



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

*Mox inter Danum & Svecum cæpere tumultus.*
*Quos etiam Martis ſunt horrida bella ſecuta.*
*Tunc oneris varij, magni, multiq; laboris*
*Incubuit Iuveni* CASPARO *maxima moles.*
*Fecit iter crebrò dubium terraq;, mariq;,*
*Grandia confecit cum laude negocia, donec*
*Pertæſus molis Regis diſceßit ab aula.*
*Tunc ubi (ni fallor) Iuvenis vix luſtra gerebat*
*Quinq; ſuprà, ſacri cupiebat fœdera lecti,*
*Si ſuperi vellent: pulchram Cilonia nympham*
*(Conſulis eximij quæ tunc erat unica gnata)*
*Nutribat, claræ minimè virtutis egentem,*
*Inſignem facie, cultis & moribus auctam,*
*Divitijs amplam, verbis, rebuſq; pudicam.*
*Hanc ſibi coniugio junxit, ſtabiliq; dicavit*
*Fœdere: ſic etenim fieri pia fata volebant.*
*O fortunatam nympham, cui nubere tali*
*Conceſſum Iuveni: Iuuenem ter, terq; beatum*
*Qui talem tantâ ſibi ducit dote puellam.*
*Fauſtus erat thalamus, quis enim quod fata volebant*
*Diceret infauſtum? fauſtumq; quod illa negabant?*
*Ipſa ſtatim virtus* CASPARI *celſior ibat,*
*Ac paßim vires magis acquirebat eundo.*
*Hunc magni, doctiq; viri vehementer amabant*
*Iudicium propter varijs in rebus, acumen*
*Ingenijq; ſimul, cultumq; à Pallade pectus.*
*Huius fama viri penetrabat Principis aulam*
*Holſatiæ, Ducis* ADOLPHI *moderantis habenas,*
*(Cuius ego, quoties memini, cum laude recordor)*
*A quo* CASPARVS *primò accerſitus in aulam*

*Princi-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

Principis ad nutum, ſibi munia facta gerebat.
Poſt à conſiliis Princeps celſiſſimus illum
Eſſe ſuis voluit, rebusq́ admovit ubiq́
Grandibus: officium ille ſuum ſapienter agebat,
Nam magis atq́ magis vitæ creſcentibus annis
Creſcebat culto prudentia pectore, primus
Inter erat primos, terras legatus adibat
Externas, cives, comites, Regesq́, Ducesq́.
Hunc celebris vidit, ſtupuitq́ Britannia, vidit,
Hunc ſtupuitq́ magis populoſa Polonia, quando
Principis ille ſui generoſi juſſa ferebat.
Neſtora conſiliis, lingua ſuperabat Vlyſſem.
Hunc tandem Princeps populi præfecit habenis
EIDERA cæruleis ſpumans ubi labitur undis,
Ambit ubi ductu cultam peninſula terram,
Qua vix fertilior toto locus ullus in orbe,
Gramina ſi ſpectas, ſegetes, pecudesq́ boantes.
Hic mihi deficiunt vires in carmine: quamvis
Ora mihi centum cum linguis pluribus eſſent,
Attamen haud poſſem, quanta cum laude gerebat
Sceptra loqui, donec per vitam fata ſinèbant.
Eſto: tamen quædam potius, quam nulla, notabo,
Principis ille ſui dictis ſapientibus aulam,
Ille ſimul populi Præfectus jura regebat.
Si res grandis erat, rarò conſulta dabantur
CASPARVS ſi non accerſebatur in aulam.
Eſſet ubi præſens, Princeps pendebat ab illo,
(Non hic alterius virtuti detraho quicquam)
Illius tantum tribuebat ponderis ori.

D Hinc

*Hinc toties vidit celeris cita flumina Sliæ,*
*Sol quoties anno radijs colluſtrat Olympum.*
*Non tamen hæc propter rerum faſtigia, pectus*
*Illius hùc, illùc ventoſus faſtus agebat.*
*Non ſeſe propriæ tollebat imagine laudis,*
*Neve, ſuas veluti volucris Iunonia pennas*
*Explicat, emeritos admirabatur honores.*
*Non etiam parvos dedignabatur amicos*
*Anteà quos norat: non illo humanior alter,*
*Ille rudi puero non auſcultare negabat.*
*(Quantò quis melior, tantò eſt dimiſsior: & quo*
*Quis ſe plus extollit, eò mihi vilior ille)*
*Mollierant humiles CASPARI pectora muſæ,*
*Quarum etiam penitus tunc non erat immemor, aſt ſi*
*Res illud ferrent, Phæbi ſtudia ille colebat,*
*Tempora fallebat furtiva per otia libro.*
*Non ſolum humanum, aſt & ius cæleſte tenebat,*
*Biblia tota etenim rectè callebat ad vnguem.*
*Certa pijs precibus tribuebat tempora manes*
*Hoc etiam magni non impediere labores*
*Cum quovis poterat, de ſacro dogmate, vate*
*Conferre, & ſacros, ſi vellet, vincere Myſtas.*
*Sic ille aonias complexus amore Camænas,*
*Immortale decus voluit cum laude mereri.*
*Carus erat populo, placidus quem jure regebat*
*Quà celer algentes allabitur EIDERA ripas.*
*Vnica cura fuit toti ſuccurrere terræ,*
*(Dixit uti coram, ſibi quando ſceptra dabantur)*
*Poſt ea major erat: cupiebat ritè ſaluti*
*Conſultum cuiuſq; : velut cùm Paſtor acerbam*

*Ad-*

*Adverſus rabiem defendit ovile luporum,*
*Nocte ſedet circum balantia ſepta, nec vllum*
*Feſſa vident, noctu jucundum, lumina ſomnum.*
*Sic pro gente ſua curam* C A S P A R V S *agebat,*
*E ſpecula veluti gliſcentia damna videbat,*
*Protinus & poterat lapſis ſuccurrere rebus.*
*Dura nimis placidis mulcebat pectora dictis,*
*Et mala ne fierent poſt deteriora cavebat.*
*Delectabatur non vllo ſangnine, nevè*
*Gaudebat pænis, ceu conſuevere Tyranni:*
*Se probitate coli plus, quàm feritate timeri*
*Malebat: placidi prudenti pectore motus*
*Semper erant, nunquam, vel raró aſſectibus vllis*
*Indulgebat, vbi quis lapſus forſitan eſſet.*
*Vt genitor ſobolem, dictis revocabat amicis.*
*Plectebat reprobos, uti fas & jura ſinebant.*
*Iuris erat cuſtos conſtans, æquiq; Sacerdos*
*Non ipſi levitas vnquam affectata placebat,*
*Deteſtabatur vano verba illita fuco,*
*Commendare ſatis non quibat pectus apertum.*
*Doctos ille viros doctus reverenter amabat.*
*Phæbus ei quendam ſic gratabatur honorem:*
*Macte tuis præſtans Heros virtutibus, auſis*
*Quis te maior erit? quis te felicior olim?*
*Sic inſigne tuum fas eſt extendere nomen,*
*Non circumſcribi poterit tua gloria metis,*
*Si tibi longa dabunt fatales ſtamina Parcæ.*
*AEmulus AEolidis (nec enim me Numina fallunt)*
*Qui nunc es laudis, factis eris alter ab illo.*

*Hæc ubi dixiſſet Phæbus: CASPARVS in aulam*
*Accerſebatur, qua Princeps magnus ADOLPHVS*
*Decumbit graviter, vitæ non abſq; periclo,*
*(Dignus erat certè qui nunquam fata ſubire.)*
*Eſſet ubi præſtò CASPARVS, talibus infit*
*Dux licet infirmus vix poſſet farier ultrà:*
*Huc ades & memori retine mea pectore dicta,*
*Poſt mea fata tibi ſobolem cum conjuge noſtram.*
*Totius & noſtri curam commendo Ducatus.*
*Imprimis ſanctæ ſacrum pietatis honorem*
*Aſſere, templa, ſcholaſq; agili complectere cura,*
*Inſtaura, ſi quæ minitantur limina, lapſum.*
*Et ſint ſynceri ſanctæ pietatis alumni.*
*Sint certi reditus verbi præconibus, illos*
*Diminui prohibe, fas hoc & jura negarunt.*
*Et reliqua, ut noſti, cura CASPARE, fidelis*
*Me vivente ut eras, ita poſt mea fata maneto.*
*Vnius, heus, oblitus eram jam ſervijt annos*
*Complures, canis vir & gravitate verendus,*
*De ſacra meritus benè relligione, ſagaci*
*Inſtructu cujus viguerunt templa, ſcholæq;*
*In noſtris terris, decus immortale Camœnis*
*Stirpe ſua major vates Eizenius ipſe,*
*Hujus habe curam, hunc orna, defende, tuere,*
*Ne ipſi deficiant ſolatia grata ſenectæ,*
*Ille patrocinio dignus nam ritè bonorum.*
*Dixerat & placidè Princeps obdormijt, indè*
*CASPARVS vero monitus ſub pectore fixit.*
*Et, quantum licuit, curam rerum egit earum*
*Quas Princeps voluit: Cum ſanctum funus ad urbem*

De-

*Debuit efferri. CASPARVS in agmine denſo*
*Nobilium cecinit (dictum nil auribus Eſto)*
*Verba pericleis facunda ſimillima dictis,*
*Obſtupuere omnes, palmam tribuere loquenti*
*Quotquot erant: tanti fecerunt munera Phœbi.*
*Cœpit ubi ſceptrum cari poſt fata Parentis*
*FRIDRICVS Princeps, magni patris optima proles,*
*De quo tanta fuit tunc ſpes juvenilibus annis,*
*Vt dudum meritis laudes ſuperaſſet avitas,*
*Ni nimis antè diem rupuiſſent ſtamina Parcæ.*
*Hic etiam magni CASPARVM fecit, & eius*
*Vix ſine conſilio quicquam Dux inclytus egit.*
*Novit enim Princeps rerum experientia, & uſus*
*Quid poſſent, ſimul ingenij cultura ſagacis.*
*Sic quoq; dive tibi Princeps animoſe PHILIPPE*
*Servijt, ô utinam licuiſſent talia fata*
*Vlterius, ſed quæ divis placuere ferenda.*
*Vive polo Princeps anima, tua fama ſuperſtes*
*Terris, donec erit mundi ſtructura, manebit.*
*Poſtremò meruit laudem ſub Principe IANO*
*ADOLPHO: haud qui patre minor, nec fratribus ulla*
*Virtute inferior, cujus jam ſceptra verentur*
Hevera, Travena, Albis, Eidera, Slia, Viſurgis,
*Et ſi qui tangunt aliàs Holſatica fluctus*
*Littora, cui Pylei dent numina Neſtoris annos.*
*Huic inquam valdè CASPARVS profuit, hujus*
*Cum reliquis, rexit dictis prudentibus aulam*
*Conſiliis melior, lingua quis promptior illo?*
*Quis melius novit Latij fundamina Iuris?*
*Omnia non poſſum (nec fas mihi) dicere, noſtris*

*Principibus ( rumpant vobis licet ilia Momis )*
*Ille fuit fulcrum , & terræ totius aſylum.*
*Illius acta boni celebrabunt ſæpius aulæ,*
*Immemor illarum nec noſtra erit EIDERA rerum,*
*Publica , namq́ue illic , promovit commoda multùm,*
*In meliore ſtatu dudum ſunt omnia , dudum*
*Incrementa magis cæpit res publica , dudum*
*Arriſit vultu nobis fortuna ſereno.*
*Dixit ea , & precibus concluſit verba miniſter*
*Dogmatis ætherei , ſacris laus optima Muſis.*
*Interea verſo proceſſit veſper Olympo,*
*Occiduaſq́ue adiit brumalis cynthius undas,*
*Iuſſit & exequiis ſupremum imponere finem:*
*Iamq́ue ſuos repetit finita luce penates*
*Quilibet , & lachrymis Præfecti funera deflet.*
*Sic data pars terræ , per tempora pauca quieſcit,*
*Donec ab Eoo Chriſtus ( ceu dicitur ) axe*
*Venerit , ut juſtè ſceleratum judicet orbem.*
*Altera pars vivit , Libitinæ neſcia , cælo,*
*Nam cælo venit , cælum quoq́ue reppetit idem.*
*In terris æterna ſibi monumenta reliquit*
*Splendida Pyramidum forma magis , atq́ue metallo.*
*Quæ non imber edax , quæ non violentia venti*
*Diruet , aut ſeries annorum , aut ſæcula mille,*
*Namq́ue illum ventura magis mirabitur ætas.*
*Omniſcij cupidus jam pendet ab ore Parentis,*
*Atq́ue avidas diis præbet ſermonibus aures,*
*Sub pedibuſq́ue videt nubes , & ſidera cæli,*
*Ad latus Angelicam multo cum vate phalangem,*
*In quibus exutus canos , vultumq́ue ſenilem,*

*Cum*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

*Cum binis Natis Princeps accurrit ADOLPHVS,*
*Illius & figit jucundis baſia malis.*
*Sic, uti poſt varios caſus, multoſq́ labores*
*Nauta redux, patrio nectit ſub poſte rudentem,*
*Occurrit multa conjunx cum prole marito.*
*Et ſalvum rediiſſe illum ſibi gaudia ſumit.*
*Aut, ubi qui fuerat detentus carcere, meſſes*
*Poſt aliquot patrias ereptus pulſat ad ædes,*
*Læta domi cuſtos mutata ſorte mariti*
*Occurrit, præbetq́ manum, vallatq́ lacertos.*
*Sic ADOLPHVS eo conſpecto gaudet, ovatq́*
*Ille quod in terris ſubmiſſo corde colebat,*
*Iam coram triplici ſimplex in numine numen*
*Aſpicit, & carpit cuncto ſinè gaudia fine.*
*Salve magne Heros multis erepte periclis,*
*Signiferiq́ iterum ſalve novus incola cœli,*
*Donec ab hoc vitæ traductus carcere tandem*
*Te ſequar, & tecum manſura in ſæcula vivam.*
*Faxit id omnipotens ſummi moderator Olympi.*
*Ne vero quiſquam nos ambitionis, inanis*
*Gloriolæ inſimulet ſupplex peto: nam mihi carmen*
*Excuſſit pietas hoc, defunctiq́ patroni*
*In me ingens meritum, cujus complexus amore*
*In vita requiem ſenſi, ſtudiiſq́ levamen.*
*Quod jam his ſexto poſt triſtia funera menſe*
*Nunc demùm canto, Phœbo inſtillante liquores,*
*Ne quis miretur, nam noſtræ dona Minervæ*
*Vilia cognovi, tantum quæ ludere verſus*
*Agreſtes didicit, tenue & ſine pondere carmen.*
*Hinc tacitus latui, mediaq́ in plebe quievi,*

*Ex-*

*Expectans num fortè velit pugnare paleſtra*
*Hac alius, multò me Athleta peritior uſu,*
*Sed nemo huic voluit triſti ſe credere pugnæ,*
*In qua cum lachrimis luctandum, & vulnera læſi*
*Semiſepulta novo renovanda poemate cordis.*
*Annuus idq; labor poſcit, promiſſaq; facta,*
*Nam memori, dixi, repetam pia funera mente,*
*Quando iterum fuerit Titan dimenſus Olympum.*
*Ergo meum pietas, & amor vicere dolorem,*
*Grataq; mens noſtris excuſſit carmina nervis.*

# FINIS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1329 4°